IR

Jonä de Elvervelt

Calliope,
Continens Encomia
Hinrici Rantzouij.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3535 4° (LN 566)




Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3535 4° (LN 566)

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3535 4° (LN 566)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3535 4° (LN 566)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3535 4° (LN 566)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3535 4° (LN 566)

DA BOX

No 3535.



= L. N. 566
M

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3535 4° (LN 566)

3535.

IONÆ DE ELVERVELT.

CALLIOPE.

CONTINENS EN-
COMIA ET LAVDES HISTO-
RICAS EXIMII, ILLVSTRIS ET NO-
biliſsimi Domini Hinrici Rantzouij, arcis Bredebergæ
hæredis legitimi, cæterorumq́ Rantzouiæ, Rantzouiſ-
holmi, Vandeſburgi, Tucebecæ, Nutzouiæ, Melbecæ,
Redingſtorfij, Gronouiæ & Vellingsbuttelij prædiorum
Domini: Regij in Ducatibus Sleſuici & Holſatiæ, nec
non finitimarum Dithmariæ regionum Vicarij,
Conſiliarij, Segebergæq́ Præfecturæ Admi-
niſtratoris, Mecœnatis ſui pl.
Colendi, &c.

SLIESVICI,

EX OFFICINA TYPOGRA-
PHICA NICOLAI VVEGENER,
ANNO XCI.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3535 4° (LN 566)

IN INSIGNIA FAMILIÆ GENTIS RANTZOVIANAE.

Rantzouiæ gentis ſunt hæc inſignia: cuius
In galea Martis cornua robur habent.
Illa quid eſt albo quod pars nitent, altera rubro?
Arma duces belli, paxq; togata, decent.
Area cur nullis eſt inſignita figuris,
Nobilium clypeis quod decor eſſe ſolet?
Quem pietas, animi candor, quem conſcia famæ
Nobilitat virtus, nobilis ille ſatis.

Ion. de El.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3535 4° (LN 566)

IONÆ DE ELVERVELT

CALLIOPE.

FOrtè locum media cœli regione tenebat
Cynthius, & dulces riguos optata per agros
Otia captabant Muſæ, dum talia lætis
Vocibus edebat fruticum genus inter apricum
Calliope, tremulas Storæ flauentis ad vndas
Vicinæq; nouo reſonabant murmure ſyluæ.
Iam Sol ſtelliferos medijs qui partibus orbes
Conſpicis, & longum metiris curſibus æuum,
Aureolos cœli Sol nubibus exere vultus,
Dum Fagi tenera ſuper impendentis in vmbra
Rantzouias laudes & facta illuſtria dico.
Et vos Storaides, vitreo quas nutrit in amne
Flumine culta ſuo qui ſeperat arua, vagoſq;
Pen nemorum ſaltus per amœnaq; paſcua ruris
Labitur, & tacitos Dryadum, Stora, audit amores.
Hic vbi munitas Bredebergæ poſſidet arces
Rantzouius, miraq; ſuos virtute colonos
Imbuit, ac iſtis latè nunc imperat aruis:
Vos mecum gelido fluuij ſalientis in antro
Inſtaurate nouas laudes, æternaq; denſæ
Arboris annoſis inſcribite carmina truncis.
Creſcetis frutices, creſcent in cortice laudes.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3535 4° (LN 566)

Tu quoq; Cimbriacæ, lux ô venerabilis, oræ,
Seu nunc conſilijs arcanas fortè potentum
Aures detineas Regum, ſeu libera Muſis
Otia concilies, & curis pectora ſoluas:
Huc ades, & placidè noſtros, Hinrice, labores
Accipe, nec reſonas mecum prope fluminis undas
Ducere pœniteat gratam ſub fronde quietem.
Aonos illa ego ſum Nymphis quæ iungor amœnis
Calliope, lauris & tempora vatibus orno.

Eximijs animoſa quidem ſe Cimbria tollit
Nobilibus: ſanguis varijs Alueldius auſis
Excellit: ſua progenies encomia iactat
Seſtediana: genus Poguiſcum nobile quondam
Floruit. Illuſtris Rantzoos extulit ortus:
Iamq; tribus variant Titamia tempora ſeclis,
Ex quo Cimbriaca præſtans hic ortus in ora
Cæpit, & egregios felicibus edidit aſtris
Marte togaq; viros: quorum iam facta per orbem
Noſcit vterq; Polus, digni quos multa nepotum
Ætatis ſoboles longos tranſmittat in annos!

Hac genus hac ducis patrias ab origine ſtirpes
Rantzouiæ gentis flos, ô Hinrice, decuſq;.
Quo patris enumerem laudes, quo carmine ſummos,
Quos nunc quos omnes ipſi debemus, honores?
Hic ſtudium primis belli miratus ab annis
Acceſsit medio diuiſos orbe Britannos,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3535 4° (LN 566)

Molles Heſperidum populos, & nobile buſtum,
Argolicaſq; plagas vidit, Syriæq; penates,
Orbis & Euganei felices venit in agros:
Ac aurata tulit geminis calcaria plantis.
Nec quiſquam varias belli dux calluit artes
Aptius, ingenti his milite ſceptra petiuit
Danica, quem ſtupuit rigidis Oetinus in armis,
Omnia cum ferro vitrei prope flumina Trauæ
Sterneret, & caperent vix fuſa cadauera ripæ.
Bellaq; Dithmariæ populos cum Rege gerentes
Contudit, æquoreis exultans victor in agris:
Nec magis armorum fuit hic quàm pacis amator.
Quem nunc Mænaleo ſub ſidere Cimbrica tollit
Plauſibus, & magnis, tellus, Heroibus addit.

Hæc aliena: dies tibi quæ ventura reſeruat,
Nunc ego magna tuæ dicam præconia laudis,
Factaq; longæuæ cernent illuſtria gentes
Purpureis vbi mane rotis vbi veſpere Phœbus
Currit, & oppoſitas accendit lumine terras.

Namq; fuit dum prima ſuis in honoribus ætas,
Et caput Aonias cæpiſti efferre per artes,
Ad veterum ſenſim præluſtria facta parentum
Virtutumq; gradus ſe nobile flexit ad omnes
Ingentum teneris longè maturius annis.
Vtq; ea Parrhaſium fuit ingens fama per orbem
Cognita, Rex auidus tantæ Virtutis amanter

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3535 4° (LN 566)

Excepit cupidis iuuenem Fridericus in vlnis.
Iamq; arcana tibi ſunt credita munera regni,
Conſilio diuis poſſes vt Regibus eſſe
Vtilis, & celſas mulceres vocibus aures.
Vſq; nitens adeo decus eſt & nobile virtus,
Nobilius doctas virtuti adiungere Muſas!

Ne tamen in duco rigidi certamine Martis
Auſis inferior Proauis illuſtribus eſſes,
Siue ſit extenſis opus Oppida cingere caſtris,
Seu trepidas vnde tentare ſub æthere pugnas:
Te populatrices inter volitare cohortes,
Atq; (quod heu miſerum eſt) per aperta pericula vitæ
Militiæ validas, iuuit, cognoſcere leges.
Nec ſemel excindi vidiſti ſedibus agros
Hoſtiles, captaſq; impleri ſtragibus vrbes:
Dania teſtis erit, teſtis Dithmarſidos ora.
Quos ibi non caſus, quæ non diſcrimina rerum
Auſus es ipſe pati: cunctis ſublime periclis
Dum caput obijceres toties, violataq; motos
Rurſus conſilijs ageres in fœdera Reges.

Hæc ita magnanimi cum tandem certa parentis
Virtutum Rex ipſe in te veſtigia ſenſit,
Inſuper ingenti laudes accendit honore,
Teq; libens, ſpolijs aurati Elephantis onuſtum,
Ordine denauit rutilo, ſuſpenſaq; dudum
Ferre dedit pulcro regalia munera collo:

Atq;

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3535 4° (LN 566)

3535.

Atq; ſuis gelidam (memorabile pignus) ad Arcton
A Cimbris voluit magni vice Regis haberi,
Præfecitq; iugis Segebergæ ingentibus. Ergò
Ranzouij Danos felices tempore! Cimbros
Felices ætate tua! te ſerior iſtis,
Fortunate ſenex, extollet laudibus ætas,
Agnoſcentq; vbi famam ſuper aſtra nepotes,
Et genus, et tua facta, tuumq; vireſcere nomen.

Eximias quid opes? quid prædia celſa? quid arces
In Bredebergiacis genitor quas condidit aruis?
Quid reliquas numerem dotes, quibus aurea rerum
Te fortuna ſuis etiam ſucceßibus auxit?
Eſt aliquid tantis decoratum laudibus eſſe.
Alta quidem (fateor) teneræ faſtigia vitæ
Hæc penetrant, natiſq; patrum poſt fata ſuperſunt:
Qui tamen ingenuas coniungit talibus artes,
Hic ſe perpetue factis ingentibus æuo
Inſerit, & vitam properantibus eximit vmbris.

Ergò ſi vere dedit (vt dedit) arbiter orbis
Cynthius eximijs doctrinæ dotibus ipſos
Vincere quod poßis Proauos, & rebus opimis,
Maiorumq; ſacris certes virtutibus auſis:
Inde tuas meritò laudes ad ſidera Muſæ
Tollimus, æternæ referentes nomina famæ.
Quod facis ipſe, tui priſcos dum ſanguinis ortus
Ex tenebris audes in claram ponere lucem.

Priamq;

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3535 4° (LN 566)

Primaq; Rantzouiæ, das incunabula ſtirpis.
Felices nimium felices ſidera fauſti
Iſta quibus primo lucent Natalis in ortu!

Sed quibus interea numeris, quo cætera cultu
Exequar, & docto reliquos in pectore motus?
Nam tua continuò reſerata Palatia Muſis
Celſaq; tecta patent: terrarum Phœbus ab ortu
In pretium ſi quid doctis commune locauit,
Hoc tenet innumeris tua Bibliotheca libellis,
Bibliotheca ſacrum cuius mirata decorem
Neſcit tota parem noſtris Europa ſub aſtris.
Sic quoq; doctrinæ genus, eximioſq; nitores
Aonidum primis, huc vſq; tueris ab annis:
Namq; nec eſt ſummis maior virtutibus hoſtis
Quam rudis, humanas qui non intelligit artes.

Pierides, æui quibus eſt cuſtodia curæ,
Barbara Rantzouijs auertite Numina tectis,
Tecta fouent vatum, natos Helicone, labores,
Ex quibus excerpent virtutum exempla minores.
Fortunate ſenex querules tua dextera largè
Pauperibus quoq; donat opes, Segebergica quorum
Nuper ad extructi tibi mœnia parua Sacelli
Conditio plures benefacta relinquit in annos.
Hinc tua ne veterum ſolers induſtria quondam
Sit virtute minor, Pario ceu marmore factas,
Noſtro Pyramides ad ſidera tempore ducis:

His

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3535 4° (LN 566)

*His caput his oculi tolluntur ad aſtra, docentq́
Eſſe alias patriæ quærendas æthere ſedes.
Dulce viatori labor! hic, dum præterit, anni
Totius ex iſtis ſpatium cognoſcit, et horas.
Sic aſtris animi vires intendis, et imos
Stellarum effectus latum ſcrutaris ad vnguem,
Sic tua Maiorum laudatos fulget in vſus
Nobilis ingenij virtus, dum grandia priſcæ
Facta vetuſtatis miraris, et altera tandem
Virtutum longis exempla minoribus edis.
Plures ô tantos dij terris addite Soles,
Multaq́ Rantzouidum ſeruate in ſecula gentem.*

*Adde vias miræ fallacibus arte lacunis
Quod renouas, mollesq́ operoſis pontibus vndas
Sternis, & eximio iungis monumenta labori.
Ne quid & effluxi longo malè temporis vſu
Intereat, ſi quid geſtum ſit pace vel armis
Axe ſub Arctoo ſcriptis illuſtribus ornas.
Vtilis hæc equidem virtus & amabilis, altas
Siue Ducum laudes ſeu nomina dicere Regum,
Claraq́ perpetuæ transſcribere facta ſenectæ.
Perge tuas cernent laudes, Hinrice, nepotes.*

*Nec minus æternis Naturæ legibus ortus
Interituſq́ tenes, variaſq́ intelligis herbas:
Occultas quarum vires cognoſcis & vſum.
Dumq́ poteſtates Gemmarum fonte recludis*

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3535 4° (LN 566)

Caſtaleo puris emanant carmina riuis:
Qualia Sueue tuas olim (ni fallar) ad vndas
Pegaſeus vates recitauit: qualia Lotus
Ad vaga cærulei cantauit flumina Nicri.
Pro quibus Aonidus grati tibi munera ruris
Floridulas Laurus & candida Lilia ſeruant.
Vtq; ſacros frondis nunquam deponit honores
Laurus, vt alba ſuo floreſcunt Lilia cultu:
Sic non vlla tuas extinguant ſecula laudes.
Ingenitoq; iuues ſemper candore Camœnas.

Quid loquar vnanimis florentia pignora lecti?
Quorum (Pieriæ ſi ſunt rata carmina Muſæ)
Facta cadens olim veſper reſonabit & Ortus.
Salue igitur patriȷs ſalue ô Sol addite terris,
Et, modo quod ſuper eſt, amplectere viribus iſtas
Laudes, Semideis quæ te virtutibus æquant.
Nec tanto quicquam placidos à pectore motus
Degenerare ſinas, ſpretæ vetus vnde reſurgat
Artis honos, redeantq; exhauſtæ in priſtina Muſæ.
Te decus Aoniæ Mecœnas excitet artis,
Nec Latia tibi quærendi tellure, ſed edet
Cimbria, qui numeris tollent tua facta, Marones.

Sera dies aurum conſumit, maxima vitæ
Gaudia vaneſcunt obliuiſcentibus annis,
Exuuiaſq; ducum perdit longæua vetuſtas:
Grata ſed Aoniȷs dum tu facis otia Nymphis,

Grandeq;

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3535 4° (LN 566)

Grandeq; Parrhaſia raræ virtutis in ora
Emittis iubar, & radios errantibus addis.
Fama tuas ergò virtutes Solis ab ortu
Ad maris Heſperÿ littus feret, ipſaq; Muſæ
Pierides viridi condent tua nomina Lauro.

Iamq; vale, & multos tua vita ſeneſcat in annos.
Rantzouidumq; velit latè increbeſcere nomen.
Cætera in irriguis cantabimus Aonos hortis.

Tantum Calliope: denſoq; volumine magnos
Heroum Proauos ſignarat, ſi quid & æui
Principÿs geſtum fuerat memorabile fama:
Hoc repetens (longæ tandem monumenta ſenectæ
Vt daret) æternum laudes Adamante notauit
Rantzouiæ ſcbolis, quas nulla redarguet ætas:
Et ſeros olim voluit meminiſſe nepotes.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3535 4° (LN 566)

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3535 4° (LN 566)

3535.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3535 4° (LN 566)

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3535 4° (LN 566)

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3535 4° (LN 566)